

SESSIO SECUNDA,

ET PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 5 Octobris, Revm̄us Episcopus Bardensis Sacrum celebravit, pontificalibus indutus, adsistentibus Illm̄o D. Archiepiscopo ac Revm̄is Prælati, ceterisque Doctoribus et Theologis Concilii adiutoribus; Archiepiscopo scilicet rochetto, stolâ, pluviali cum mitrâ; Episcopi pluvialibus supra rochetum cum mitris; Vicario generali Apostolico pluviali absque mitrâ; Doctoribus Marianis rochetto et mozzetâ, ceteris verò Sacerdotibus superpelliceo indutis.

Post Sacrum, et concionem ab Revm̄o Episcopo Carolopolitano habitam, psalmus et hymnus, prout in Pontificali Romano præscribitur, recitati sunt. Deinde Prælati in Secretarium Metropolitanæ Ecclesiæ recesserunt; et januis clausis, solo Secretario cum ipsius adiutore præsentem, de condendis decretis egerunt. Interea autem alii omnes ex Ecclesiâ egressi sunt.

Primum quidem, de mandato Patrum Concilii, Secretarius admodum Rev. JOANNEM POWER, Vicarium Generalem Neo-Eboracensem, ipsorum nomine, per epistolam invitavit ut Congregationibus vespere habendis, cum ceteris Theologis interesset.

Deinde sequentes regulæ in Congregationibus observandæ conditæ sunt:

1. Cuilibet Theologorum dicendi sententiam, quo sedet ordine, facultas datur; incipient autem juniores.
2. Omnes Revm̄um D. Archiepiscopum alloquentur, alternis sermonibus inter se abstinebunt, atque brevitati, quantum fieri poterit, consulent.
3. Prælatorum sententiæ in Congregationibus non rogabuntur;

à Theologis tamen quid sentiant iterum exquirere, ac fusiorem explicationem sciscitari ipsis licebit.

4. Alto silentio prementur ea quæ in Congregationibus vel dicuntur vel aguntur.

Denique latum est Decretum 1, quod incipit: *Quoniam sæpius.*

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

IN Congregatione secundâ publicâ, quæ die 5 Octobris, horâ quartâ P. M. in Cathedrali Ecclesiâ habita est, aderant Prælati et Theologi omnes. Hi rogati, suas sententiâs aperuerunt de variis quæ propositæ sunt quæstionibus, scilicet de obligatione in diœcesi propriâ manendi, et de iis quæ exigenda sunt à Sacerdote qui alteri Diœcesi adscribi voluerit. Actum est etiam de pœnis ac modo procedendi in Clericos criminosos vel suspectos; sed quoniam rei gravitas ita postulare videbatur, de iis iterum agendum in quartâ publicâ Congregatione, die 7 Octobris habendâ, statutum est.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 6 Octobris, horâ octavâ A. M. Sacrum, pro more, est pontificaliter celebratum à Revm̄o Episcopo Carolopolitano, assistentibus Prælati et Theologis: concio habita est à Revm̄o Episcopo Bostoniensi.

Cùm in Secretarium recessissent Prælati, statutum est Decreta Patrum, quæ in privatâ Sessione conduntur, palàm in publicâ Congregatione legenda, ut Theologi, si verborum aliqua mutatio facienda vide-

atur, eam indicent, quin tamen Decreta novæ discussioni subjiciantur.

Deinde lata sunt Decreta 2, 3 et 4.

TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

HORA tertiâ P. M. in Ecclesiâ Cathedrali conveniunt Prælati et Theologi. Actum est de Duacensi Scripturarum versione, de Bibliorum acatholicorum et de prohibitorum librorum lectione.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 7 Octobris, Sacrum pontificaliter celebratum est à Revmo Episcopo Cincinnatensi, Prælati Theologisque assistentibus; concio autem habita est à Revmo Episcopo Carolopolitano, et cetera pro more peracta. Dein Prælati in Secretario coadunatis, lecta et probata sunt Decreta antea lata.

QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

HORA quartâ P. M. convenerunt Prælati et Theologi in Ecclesiâ Cathedrali. Actum est de Catholicâ Typographiâ instituendâ. Lectæ quoque sunt Litteræ Encyclicæ SSmi D. N. Pii PP. VIII, ut Theologis innotescerent; nulla tamen solemnitas earum promulgatio facta est.

QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 8 Octobris, horâ octavâ A. M. Revmus Episcopus S. Ludovici pontificaliter celebravit, et Revmus Episcopus Bostoniensis concionem habuit.

Prælati in Secretarium recedentes, decretum 9 de Scripturarum Duacensi versione accuratè edendâ tulerunt.

In hac Congregatione statutum quoque est Epistolam Pastoralem ab Archiepiscopo et Prælati subscriptam, statim post Concilii finem ad universos Fideles in Fœderatis Provinciis conscribendam esse; cujus parandæ cura Revmo Episcopo Carolopolitano demandata est. Eidem quoque Prælato et Revmo Episcopo Bostoniensi commissum est ut rationem quâ utiliter libri Catholici disseminari possent, proponerent.

QUINTA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 8 Octobris, horâ quarta P. M. pro more conveniunt in Ecclesiâ Cathedrali Prælati et Theologi. Lectum est decretum de Duacensi versione. Deinde Theologorum sententiæ de Centrali Seminario erigendo, et de modo quo Ecclesiæ postea ædificandæ divino cultui in perpetuum manciparentur, absque Ædituorum ope, exquisitæ sunt.

QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 9 Octobris, horâ consuetâ, post Missam pro Defunctis ab Episcopo Bostoniensi pontificaliter celebratam, Prælati in Secretarium recessere: quibus Episcopi Carolopolitanus et Bostoniensis retulerunt quæ de disseminandorum librorum ratione eis visa sunt, eaque de re lata sunt decreta 35 et 36.

Post Decretum hoc 36, de Societate instituendâ, hæc adjuncta sunt:

Quoniam verò absque civilis potestatis sanctione, Societas illa vix coalescere aut perdurare posset, statuimus supplices litteras ad Senatum Marylandiæ porrigendas, ut Societatem hanc tanquàm legitimam agnoscat, privilegiisque consuetis in litterarum profectum donet. Statuimus etiam omnia facienda, quæ ad edendos libros qui necessarii visi fuerint, requirentur. Statuimus demùm ut operi Christianæ Religionis adeò utili ab unoquoque Prælate in suâ Diœcesi, omnis cura et diligentia impendatur, et socii quos opportunos judicaverint, adscribantur.

Dein lata sunt Decreta 34 et 5.

Postea statutum fuit Officium S. Gregorii VII, quod alicubi omitti constuevit, ubique in posterum recitandum per totam Provinciam.

SEXTA CONGREGATIO PUBLICA.

Prælati et Theologis convenientibus ut suprâ, Decretum de Ædituis lectum est, et deinceps de naturâ jurispatronatûs actum.

SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 10 Octobris, post Sacrum à Revmo Bardensi Episcopo pontificaliter celebratum, decreverunt Patres, proponente Revmo Episcopo Bardensi, Theologos hujus Provinciæ rogandos ut unicuique Præsuli exemplar suppeditent eorum Theologiæ Tractatum quos magis accommodatos censuerint Religionis incremento in hac Provinciâ, ita ut facilius possint Præsules, cum per otium licuerit, cursum Theologicum eligere, à Theologiæ Candidatis in hisce Provinciis adhibendum.

Dein, suggerente Revmo Episcopo S. Ludovici, convenit inter Præsules aliquot jurisperitos insignes invitandos esse ut, die Martis proximâ, in publicâ Congregatione sententias suas Patribus aperiant de quibusdam legibus civilibus, quarum accurata notitia ad Decreta condenda de bonis Ecclesiasticis, et de judiciorum Ecclesiasticorum ratione in his Provinciis servandâ, maximè desideratur.

Tum statuerunt Patres quæ in Decretis 6, 7, 8 et 33 continentur.

Postea Secretario mandatum est ut Decreta relegeret, et verborum menda corrigeret juxta observationes sibi à concilio factas, eaque Revmi Episcopi S. Ludovici examini subjiceret.

SEPTIMA CONGREGATIO PUBLICA.

HORA tertiâ P. M. convenerunt Præsules et Theologi. In hac Congregatione, Theologi, Episcoporum rogatu, de pluribus rebus, præsertim quæ ad Baptismum pertinent, disseruerunt.

SEPTIMA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 12 Octobris, cum Præsules de more convenissent, de sacris ritibus plura condita sunt decreta, quæ numeris 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17 et 19 continentur.

Postulante admodum Rev. Administratore Philadelphensi, de aquâ Baptismali examen iterum institutum est: sed Patres suo adhæserunt decreto quod est Rituale conforme.

OCTAVA CONGREGATIO PUBLICA.

CONVENERUNT pro more Præsules et Theologi, et de Rituali et linguâ Latinâ in omnibus sacris officiis adhibendâ, fusiùs est actum.

OCTAVA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 13 Octobris, convenerunt Præsules cum Secretario, ejusque adjutore, horâ octavâ A. M. in Secretario Ecclesiæ Cathedralis. Lecta sunt et probata decreta quæ pridè lata fuerant. Dein condita sunt decreta 20, 18, 21 et 22.

De tempore Paschali decretum est: "Cùm orta sint dubia de temporis spatio quod in hac Provinciâ ad satisfaciendum Paschali præcepto fuerit concessum, et ad rectum animarum regimen maximè pertineat Præsules accuratam ejusdem habere notitiam; statuimus à S. Sede expetendum ut, ob peculiâres regionis circumstantias, tempus adsignetur à primâ Quadragesimæ Dominicâ inclusivè, usque ad Dominicam Trinitatis inclusivè, prudenti Ordinarii arbitrio."

Deinde de libro Cæremoniarum edendo decreverunt Patres: *Quoniam maximè*, No 31. Hujus libri componendi cura demandata est Revmo Episcopo S. Ludovici; explicationem autem præmittendi, Revmo Episcopo Carolopolitano.

Demùm lata sunt decreta numeris 32, 25 et 23 contenta.

NONA CONGREGATIO PUBLICA.

CONVENERUNT Præsules et Theologi horâ quartâ P. M. Lectis decretis manè latis, introducti fuerunt ju-

risperiti ROGERIUS B. TANEY, JOANNES SCOTT et GULIELMUS G. READ, qui, ex Episcoporum dignatione, sederunt non longè à Theologis in dexterâ parte Concilii. Responsum interrogationibus, quas scripto jam fecerant Patres, jurisperitus GULIELMUS G. READ, collegarum suorum nomine, exhibuit scripto exaratum. Patribus autem vivâ voce alia exquirentibus, vivâ etiam voce jurisperiti responderunt. Qui postquàm omnibus quæsitis satisfecissent, gratiæ eis actæ sunt à Patribus, et è Concilio statim recesserunt.

Proposuit deinde Revmùs Episcopus Carolopolitanus ut publica Congregatio, manè diei sequentis, ante privatam haberetur; quod Patribus omnibus placuit.

DECIMA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 14 Octobris, horâ octavâ A. M. convenerunt Præsules ac Theologi, et de confessione matrimonio præmittendâ, de matrimoniis Catholicorum cum Catholicis, deque bannorum publicatione actum est.

NONA CONGREGATIO PRIVATA.

HÆC Congregatio habita est horâ undecimâ A. M. Decreta pridè lata lecta sunt et probata. PropONENTE Revmo Episcopo S. Ludovici, munus commissum est Revmo Episcopo Bardensi litteras conscribendi ad Sodalitatem Gallicam de Propagatione fidei, quibus gratiæ agantur ob beneficia quamplurima in Americanæ Missionis utilitatem collata. Munus etiam commissum est Revmo Episcopo S. Ludovici litteras scribendi ad Summum Pontificem de iis quæ ad Concilii decreta pertinent, et ad eorum approbationem.

De modo procedendi contra Clericos criminosos vel suspectos actum est: sed nihil speciatim decretum. De Matrimonio decreverunt Patres: *Pastores animarum*, No 26.

UNDECIMA CONGREGATIO PUBLICA.

CONVENERUNT Præsules et Theologi horâ quartâ P. M. et de Eucharistiâ ad infirmos deferendâ; de veste talari; de secessu annuo et collationibus spiritualibus; de prædicatione verbi divini; de rudimentis fidei pueris tradendis; de superpelliceo in Sacramentorum administratione, in privatis etiam ædibus, adhibendo; de decretis Synodi et Conventûs Baltimorensis, actum est.

DECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 15 Octobris, horâ octavâ A. M. convenerunt Præsules in Secretario. Lecta est à Revmo Episcopo Bardensi epistola ad Societatem Gallicam de fidei Propagatione, et à Concilio probata. Dein lata sunt decreta numeris 27, 28, 29 et 30 contenta.

De Synodo et Conventu Baltimorensi sic decreverunt Patres: "Cùm temporum locorumque adjuncta spectamus, in quibus versabatur ven. mem. JOANNES CARROLL, Episcopus Baltimorensis, quando habuit Synodum Diœcesanam anno 1791, valdè admiramur quo fidei studio, prudentiâ et scientiâ, plurima in Ecclesiæ utilitatem statuerit. Magni etiam facimus quæ ad nos pervenerunt, ab eodem venerabili Præsule, postquàm ad dignitatem Archiepiscopalem evectus est, gesta unâ cum aliis hujus Provinciæ Episcopis, anno 1810. Iis plurima contineri agnoscimus

quæ utilitatem ac ædificationem magnam afferunt; et volumus eadem Acta, prout edita sunt à proximè defuncto Archiepiscopo, doctrinâ et studio fidei venerabili, iterùm edi unâ cum hujus Provincialis Concilii decretis."

DUODECIMA ET ULTIMA CONGREGATIO PUBLICA.

HORA quartâ P. M. convenerunt Prælati et Theologi, et de liberis Muratoribus, de tempore proximum Concilium celebrandi, ac de quibusdam aliis disseruerunt. Theologos monuit Revmûs Archiepiscopus, ex Patrum consensu, nullam in posterum publicam Congregationem habendam.

UNDECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 16 Octobris, horâ quartâ P. M. cùm convenissent Præsules, lecta est ac approbata Epistola ad Summum Pontificem: lecta quoque sunt decreta pridè lata, atque iterùm confirmata. De secundo Concilio post triennium habendo latum est decretum 38.

DUODECIMA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 17 Octobris, horâ tertiâ P. M. Prælati pro more convenerunt. Lecta est Epistola Rev. D. S. G. BRUTE, quâ quoddam decretum de vestiendi modo emendandum humiliter proponebat, et à publicâ decretorum lectione, proximâ die Dominicâ, in Ecclesiâ abstinendum, eò quòd nimium temporis spatium occuparet. Placuerunt hæc Patribus; ideoque, deletis quibusdam decreti jam lati verbis, novum con-